



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 6. Politia veterum Hispanorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

virtutes laudant. Prima est

PRVDENTIA quam ostenderunt in bellis contra Romanos: nam ἰταλιῶν καὶ κατακερματιστῶν τὰς ἀγῶνας, ait Strabo. Exinde factum, vt

— *Latis veltigal Iberia vrbus*

Contulit Augustos,

ait Claudianus, videlicet Traianum, Hadrianum, & Theodosium.

II. FORTITVDO, patet in eo quod à Floro *Bellatrix* dicitur, & *Annibalis eruditrix*, & *Seminarium hostilis exercitus*. Lilius ait, nonnullos se interemisse quoniam eis Cato ademerat arma: quod spectat & illud Siliij,

Prodiga gens animi, et properare facillima mortem, &c.

III. FIDELITAS in Saguntinis eluxit. Quare Iulius Cæsar stipatores corporis Hispanos habuit, sicut & Augustus Calaguritanos, *Suetonius*.

IV. HOSPITALITAS. *Diodorus* ait, in hospitibus recipiendis decertare: quos aduenæ sequuntur, ab omnibus laudari.

V. LITERARVM AMOR. Ex vltimis Gadibus venere quidam Romam, vt T. Lilius viderent. Parens est Hispania Senecarum, Lucani, Melæ, Columellæ, Hygini, &c.

§. 6. Politia Hispanorum.

DE hac ante Carthaginensium in eam aduentum nihil constat, sicut & de Colonia in eam immissis à Phoenicibus, Rhodiis, atque Phœnicibus. Oppressi ergo per indigenas Gaditani origine Tyrj ad Pœnos confugere, qui & hospites defendere suos, & hinc sedem fixere. Postea sub Amilcaris auspiciis in eam iterum transfugere, à cuius Genero cõdita Carthago: sed Pœnorum imperium varias hinc expertum vices, tandem per Annibalem restoruit, Romanorum, qui eò quoque transierant, imminutum, donec à Scipione Maiore capta Carthago Noua Pœnorum fregit animos. Tum Hispania in prouinciæ formam redacta, primaque ex regionibus continentis, modòque per Prætores, modò per Proconsules administrata est, prout vrgebant negotia. Sub Imperatoribus primis Tarraconensem sibi Cæsares reseruarunt, imò aliquando Lusitaniam, Bætica populo relicta, cum Lusitania, & modò per Prætores, modò per Proconsulem ius iis dictum. Quomodo autem sub Imperatoribus se habuerit, vsque ad Barbarorum inundationem,

nem, legantur. Pancirolus cap. 67. Notitiæ Imperij Occidentalis, & Mariana sub initium Historiæ.

§. 7. *Lingua Hispanorum Antiquorum.*

ANTIQUVM idioma Hispanicum credunt plurimi esse hodiernum Lapurdense, quod vulgò dicimus *le Basque*, de quo lib. sequenti cap. 5. §. 5. & huic opinioni doctissimi Hispanorum subscribunt.

CAPVT SECVDVM.

De præcipuis Hispania Populis, & Insulis.

PRÆSTANTISSIMA quæque ex historicis seligo, ex quibus lux affulgeat Geographiæ.

§. 1. *De Lusitanis.*

NOMEN habet à *Luso*, vel *Lysa*, Bacchi præfecto, vt fatentur omnes.

QUALITAS. *Aurifera* fuit, vt testatur Plinius, ait enim eam cum Gallæciâ & Asturiâ, vicena millia pondo auri quotannis pensitasse. Nihil de Tago commemoro, auri ad nostram vsque ætatem fertili. Fuit quoque hæc regio *feracissima*, siquidem Athenæus lib. 8. ex Polybio notat suam 100. librarum hîc tantum emi 5. dragmis, totidem vitulum, ouem duabus; Talentum ficuum 3. obolis, bouem iugo aptum 10. dragmis, syluestria animalia vulgo data. Hîc quoque sal purpureus, qui tritus albescit.

MORES ex Strabone colliguntur lib. 3. Laconicâ utebantur viuendi ratione. Bis tantum vngebantur: lapillis cædentibus se calefaciebant. Frugaliter vno cibo vitabant, permutatione utebantur, pecuniæ loco. Ægros publicè exponebant Ægyptio more. Coriaceis nauigiis vsi sunt vsque ad Brutum. Prædari malebant, quàm terram colere, licet feracissimam. Lusitanicæ fortitudinis testis Viriathus, cui pares esse Romani non potuerunt, nisi fraude.